

**VD16 H 6398****Hutten, Ulrich von****Phalarismus Dialogus Huttenicus****[Mainz] [1517]****Res/4 Germ.sp. 171 m#Beibd.1**

### Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

PHALA  
RISMVS DIA  
LOGVS HVT  
TENNIVS.  
IACTA EST ALEA



3

**VLRICHI DE**  
**H V T T E N E Q V I T I S**  
**G E R M A N I P H A L A**  
**R I S M V S D I A L O**  
**G V S.**

Interloquutores. CHARON, MERCVRI  
VS, TYRANNVS, ET PHA  
LARIS.

Charon,



VID C O R P O,  
ris hūc Mercuris. Quam no  
bis uitam aduehis. MER.  
Tyrannus est o Charon.  
CHA. Quid uiuus hūc?  
MER. Permissu Iouis,  
post Herculem, Thesea, Pi  
rithoum, & alios hoc illi li  
cet. Ac per specum Patritij  
ingressus, magistrum Pha  
laridem conueniet. CHA. Quomodo magistrum, qui  
tot seculis antecessit. MER. Alia ratione. Iampridem  
egressus hinc Phalaris, quædam hūc insomnis monuit,  
ad obtinendam tyrannidem necessaria. CHA. Quid  
hunc potissimum? MER. Cura est Phalaridi, ut & Ger  
mania Tyrannoshabeat, quos nō ita prius. CHA. Ger  
manus est iste? Mōstrum omnium seculorum memoria  
dignum. In Germania Tyrannus. Et quod subit, is forte  
est, de quo miserrime cōquerentem nuper quandam um  
bram

P H A L A R. H V T T E N I C V S.

bram trāsuexī, Francum equitem aiebat fuisse sese, & in huius aula uersatū annos aliquot, deinde ab eo nihil tale meritum, crudelissime interfectum, lōga fuit historia, Ipse factum dolui. Venit paulopost iuuenis pater, uenerandus senex, qui cum in hac cymba, innocentis filij casum deploraret, nobisque totam rem, ut gestam dicebat, ordine recenseret, omnium in se aures atque oculos convertit, omnes perculfos reddidit, denique omniū cōmiserationem meruit. Nihil ea Tragoēdia lugubrius uisum est, me quidē uehementer mouit. MER. Recte Charon, is est. CHA. Vbi Germaniæ regnat? MER. In Sueviis. CHA. Magnanimaper Plutonem gente, & pro libertate sua mire pugnaci. Quo magis admiror, quomodo hūc ferat. MER. Ut nunc sunt tempora. Nam & suū istunc fatum manet. Sed inscendamus, tu scaphā admoue Charon. Inscende tu. CHA. Ut grauis est. Prōinde hunc rem accipe Tyranne. TYR. Mortuis ista tuis. Nam mihi nondum præcipies aliquid, atque audīn? Ad nautica Sueorum príncipem? CHA. Te talem aio, quem ego paulopost uidebo, multo his indigniora, & seruilia magis ferre, Tyrannus cum sis. TYR. Mīnime Tyran nus, sed in regnum natus, & legitime imperans. MER. Sicest hoc quidem Charon ut dicit. Sed disce ò Germane, non eos tantū uocari Tyrannos, qui in libera aliquādo ciuitate regnum inuaserunt, uerum eos quoque, qui relictis iustitia, liberalitate, fortitudine, pietate, temperātia, mansuetudine, ac clementia, regijs scilicet uirtutibus, hæc usurpauerunt, Crudelitatem, auaritiam, ignauiam, feritatem, mollitiem, libidinē, ac immanitatem, & his similia uitia. TYR. Tibi & deo & duci, aliquid in me liberius fortasse licet, hunc uero nautam, quis ferat obstre pentem principibus? MER. Reuerētius Tyrāne, quia & deus est iste, & suum hic habet imperiū. CHA. Age age ad remum, & scapham promoue. Quæ mora? Vīn?

A ij ab ista

P H A L A R I S M V S

ab ista deturbari cymba? T Y R . Nunquam in Germania faceres ista. Atq; utinam. CH . Quin tu minari desinis, aut hunc ego capiti tuo contum impingam. M E R . Supplica deo. Nec enim tantum est Louis imperium, ut iniuriam Dīs ipsis faciat. Tu uero Charon, ueniā illi dā, nam utcūq; autor certe fuit, quo multi tibi obuli soluerētur, & in hoc Plutonis ærariū auxit, ut qui multos interfecit. C H A . Si me orauerit sceleratus. T Y R . Propitius mihi sis deus Charon, & ecce ad remum. CH . Sentinam mihi exhauries quoq; nō multo post, & uilissima quæq; ministeria libens obibis, ac ab ista ferocitate multum alienus eris. Vos umbræ transite, cum hūc inclinet cymba. Descēdite. Tu Tyranne aliquid plus solue, sexcētis umbris grauior. M E R . Faciet. Nam & prodigus est iste. CH . Abi in malā crucem. Porro Vergilio uate opus est Mercuri, qui continuo in cælos exclamet suum illud. Dī talem terris auertite pestem. Phalaridē magistrū æquabit iste, aut superabit etiam. Et scire abs te labore, quēadmodum louī in mentē uenerit, permittere hunc ad talem ire magistrum, & hæc discere. M E R . Ut habeant scilicet homines, quo erudiantur. Nam iste quidem sic facit, uerum non nihil & patietur, sua indignum peruersitate. Mihi enim præterea mādauit Iuppiter, Cæsari Maximiliano ut dicam, rerum curam agat, & hoc crebro illi inculcem, ὁν χρή παγγύχιος. C H A . Metuo ut inutiliter. Itamen. M E R . Nequaquam inutiliter. Nam & bonus est Maximilianus, & hunc pro cōmissis uehemēter odit, iamq; ad supplicium rapturus uidetur. Sed ducā, deinde illud obibo ministeriū. Per has tenebras imus Tyranne, deinde mons est, & post eum uallis, quā ad quādam itur planitiem, tum iterum mons est, & abrupta quædā saxis prominentibus, unde ad quoddā descendit cauū, ubi longo recessu, unā omnes habitat Tyrāni. Confecimus hoc iam iter. Et ecce illum tibi cōfessum. Age rem tuā, ipse ad alia

H V T T E N I C V S.

alia mittor. PHA. Nec me reduces MER. Adtempus  
adero. TYR. Salve magister Phalaris. PHA. Et tu sal-  
ue discipule Sueue, iterumq; salue, Quam te laetus video,  
Ades dum delitiæ meæ, hūc ades dilectum caput. TYR.  
Sedulo, ut monuisti, quædam exequutus sum. PHAL.  
Quem in modum age? TYR. Nobilem iuuenem, meum  
comitem, cum eius uxorem puellā uenustam deperirem,  
obtruncaui. Nec id tantum, sed quemadmodum ex tuo  
instituto esse sum arbitratus, cū ad solitum prius obsequiū  
uocasse, atq; ita per speciem benignitatis adortus, ami-  
cum, & qui mihi fidelissimus semper fuisset, de me optime  
meritum, optime apud omnes spei, per omnia egregium,  
Cuius pauloante pater, maxima in me & necessaria be-  
neficia contulerat. Etsi ea hūc fama peruenit Phalari ma-  
gister, eius fuit filius, cuius ope & succurso, rebellantibus  
iam pridē popularibus, in regno conseruatus sum. PHA.  
Tale quiddam ego quidem nec feci unquam, nec medita-  
tus sum. Semper enim eos occidebam, qui aut delati apud  
me essent, ut insidiatores, aut quos aliqua mea suspicio re-  
os fecisset. Atque in hoc tibi concesserim, nouitio Tyrano  
no uetus, tu uero plurimum cōmendandus, qui ea iam  
admisisti, quibus omnes pœnè Tyrannos post tergū re-  
linquis. Sed age post hæc initia qui progressus & quem fi-  
nem res habuit? TYR. Cum quid animi haberem, cal-  
lide dissimularem, nec iam ante ulla nobis offensa inter-  
cessisset, & nihil de me ille mali suspicaretur, ac ipse per o-  
mnia amicū simularē, & iccirco blande conferrem, ad offi-  
cium uocauī, ac sequime extra urbem aliquantū itineris,  
dum quiddā colloquerer, iussi, & inermem iussi, cum me  
ipse clām armis communissem. Vbi in quoddā uentum  
est nemus, incautū oppressi, inermem occidi, immaniter,  
crueliter. Nam & præter alia uulnera, quinquies trāsegī  
gladium, & exanime corpus raptavi. Demum quod tur-  
pissimum apud Germanos supplicij genus censem, su-

A ij spendio.

P H A L A R I S M V S

Spendio innocentis uitam notaui. PHA. Recite hæc. Fuerunt illi autem, qui in perfectū lugerent, parētes & TYR. Fuit pater. Ethoc putabam felicitati deesse meæ, quod nō esset & mater, quæ pariter lugeret. Illius uero patris immensus fuit luctus, trium præterea fratrum, & unius sororis, spese orbatos sua querentium. PHA. Quid tum & TYR. Ad patriam sepulturam poscentibus corpus, negavi. PHA. Neque id ab re. TYR. Quendam deinde boni nominis Equitem, huius misertū, ac innocentis conqueroris mortem deplorare ausum, interemi. PHA. Legitimum Tyranni opus, misericordiam punire. Verum nulla super his ultio inseguuta est. TYR. Imminebat quidem, sed ego consilio propuli. Quippe maximi cū aduersum me educiti exercitus essent, iamq; in prospectū accessisset bellū, ad pacis conditiones descendī, iniquas etiā. PHA. Quid fecisti autem? TYR. Omnia nihil, facturum autem promisi, & in rei fidem literas consignauī, fiduciisores interposui. Nunc distracto hoste, cum nihil eorum de quibus conuentum est, obseruem, ut fidem quisq; clamat, medium digitum ostendo. PHAL. Generose, nam & perfidum esse oportet Tyrannum. TYR. Nunc istud prospicio, ut amicissimum quenq; familiæ illius, comprehensum, pessime conficiam. PHA. Omnia Tyranice, & quæ fecisti, & quæ proponis. Qua hæc autem arte paras? TYR. Dicam, ubi prius de uxore exposuero mea. PHA. Expone. TYR. Vehementer oderam, nec quam ob causam, ipsi mihi exploratum est, uenustissima cum sit, & omnibus referta gratijs, optimis ad hoc moribus, & summo nata genere, ut plus ornamenti in meam domū nunquā peruererit, quam ex hoc coniugio, oderā tamē. PHA. Familiare hoc Tyrannis, multa cupere, multa timere, multa odisse, nec in his rationem habere ullā. TYR. Itaque iugulare statuera m hanc, quanprimum quoddam mihi peractum esset negotium. PHA. Non iugulasti au-

tem

tem, uel quo minus hoc faceres, quid obstitit: TYR. Dū  
 hoccuro, infaustum negotiū, illa interim aufugit. PHA,  
 Et potuit: TYR. Alieno scilicet adminiculo, cui quidem  
 ego. PHA. Iam quō profugit: TYR. Ad fratres, qui in  
 Bauaris regnant. PHA. Tua igitur inexpleta cupiditas  
 est: & quod prouerbio fertur, Hians lupus discedis: TYR  
 Ut narras, sed nunc bellum paro, quod illis quamprimum  
 inferam, per speciem honestatis, uxorem ut repetens ma-  
 gno autem scelere. PHAL. Quonam: TYR. Multos  
 conscripsi equites, & in his Francos, magnifica omnes li-  
 beralitate inuitans, hi sc̄duces ac centuriones præpono,  
 pessimum quenque, & ob id carum mihi. PHAL. Fidis  
 autem equitibus Francis, ob illum iugulatum infensis ti-  
 bis: TYR. Fido. Nimirum in honestam qui semel tueri  
 cauſam cœperunt, haud facile deserent, utpote scelerisſi-  
 bi conciij, & commune idcirco iam nuncodium meriti.  
 PHAL. Arcto satis uinculo obſtrictos habes. Omnia  
 autem miror, tuarum nunc esse partium, qui tetanto nu-  
 per opere, ut aīs, oppugnare agressi sunt, quiq; in ultionē  
 tui facinoris, sic aliquando exarserunt, ut prece ab eis ac  
 pretio pacem redimere oportuerit. TYR. Omnia nunc  
 uenalia habet Germania. Confide. PHA. Te igitur di-  
 uitem esse oportuit, qui ſæpe tale aliquid emeres. Ve-  
 rum ulterius quid inest sceleris: TYR. Hostem in hoste  
 ulciscar, hos discriminibus obiiciens. Nam qui mecum  
 boni sunt, eos domesticis seruo supplicijs. PHA. Opti-  
 mo per Tyrannidem consilio. TYR. Tum uictoria ſi eue-  
 nerit, multum sanguinis fundam. Primum illam pessime  
 tractabo, deinde occidam. Demum quos potero, & hosti-  
 um, & amicorum, & ex iſtis qui mihi auxilio fuerunt, ua-  
 rijs tormentorum generibus exercebo. In omnes citra di-  
 scrimen grassabor. Ad te uero idcirco descendī, ut in tanta  
 copia quid fieri suadeas, discā. Mire oblectabo me enim,  
 ſi tu recte præmonueris. P H A. Nihil adhuc à Phalari-

## P H A L A R I S M V S

de degeneras. Próinde eorum quæ noui, nihil te cælabo.  
Et audistin' de æneo meo tauro? TYR. Cui imponebas  
puniendos, ignem substruens, dum illum eliceret, gratū  
auribus tuis, non bouis mugitum? PHA. Illum ipsum  
tibi effinge, & eundē in modū ubi opus erit utere. TYR.  
Vtar. PHA. Mire uellē literas scire te, ut ea quæ de Ty-  
berio Cæsare scribūtur, & quæ Caligula, Nero, ac Domi-  
tianus experti sunt, condisceres, uerum per interpretem  
nosces, admodum scita sunt, Deinde Carthaginiensis il-  
lius dolij instar fabrica. Sic illi M. Regulum Romanum  
uoluntarunt. TYR. Imitabile hoc. PHA. Quibusdam  
palpebras præscindes, ipsos aduersum in solem statues.  
TYR. Nec ipsum hoc inscītum. PHA. Carthaginiense  
inuentū idem. Institues & æneum equum, intus cauū, cui  
imposito igne, superinsidere plectendos iubebis. TYR.  
Apte admodum cum illo boue hunc equum. PHA. Scī  
licet. Quosdam item, plantis ac mentōtenus abstracta  
cute, uestiri, ac ambulare facies. TYR. Factum curabo.  
PHA. Alijs sic excoriati sale inspergūtur, aut cinere ma-  
cerantur. TYR. O Tyrannis. Delitias tormentorum nar-  
nas. PHAL. Aut aceto perfunduntur. TYR. Iucunde.  
PHA. Aut urtica confricantur. TYR. Suauiter. PHA.  
Multos pedibus ac manibus postquā mutilaueris, uiue-  
recoges. Quibusdam oculos erues. Alijs aures resecabis  
aliquando, aut nasos, uel dentes forcipe excerpti, aut lin-  
guam excindi curabis. TYR. Iam quædam istiusmo-  
di exercui. Auītum præterea insigne, id cornu ceruīnum  
est, quorundam buccis inussi. PHA. Macte animo Sue-  
ue, sic Tyrannis colitur. Iubeo & imperfectos liberos, epu-  
landos apponere parentibus. TYR. Nisi omnis occa-  
sio defuerit, patratum habebis. PHA. Atque illud tibi  
inuenierunt, quos uides, Græcus iste Atreus, & Medus  
Astyages. TYR. Gratiam habeo. PHA. Iam illa, ner-  
uos extrahere, ungues adurere, serra uel lignea mediū dis-  
secare

H V T T E N I C V S.

secare, aut auersis equis distrahere, uel quo genere usus  
est Alexander Seuerus Romanus imperator, fumo neca-  
re, credo nota tibi sunt, Aut quod apud finitimos tibi Bo-  
emos inuentum est, bombardæ imponi, ac ita globi uice  
proïci. TYR. Accepi. PHA. Meditabar ipse aliquando,  
uiuorū crura cōfringere, & qua medulla est, liquidū plū-  
bum infundere, aut candens ferrū inserere. TYR. Iam  
hoc ipse experiar. PHA. Sed ea omnia uincit iudicio meo,  
quod nescio quomodo fieri possit, ut tu ignores, quādo-  
quidē hac ætate in Sarmatis usurpatū est. TYR. Nēpe,  
ut inter aceruos prunarū nudus statuat, & ab una parte,  
doliū frigida aqua plenū. PHA. Hoc inquam, ut ille sic  
positus, quāto plus torreatur, tāto auidius frigidā sibi a-  
spergat, quāto plus inspergat, tanto diutius supplicio du-  
ret. Ipse quidem uaria in Agrigentinos meos olim medi-  
tatus, quod cum hoc conferri possit, non inueni. TYR.  
Exquisitū omnino est, ob idq; meminero. Et habeo, quē  
sic punire conueniat. Tu perge, si quid monere præterea  
uis. PHA. Inprimis nullos esse deos putabis, & sum-  
mum bonum Tyrānidem statues, ac crudelitatem coles.  
TYR. Me apte natura, ut magistro non indigeā. PHA.  
Quanto quisq; melior, ac quanto magis innocens, tanto  
infestiorem habe, ac cupidius puni. TYR. Sic uitam in-  
stitui. PHA. Et hæc quidem ad conciliandum tibi apud  
tuos metū, ferè pertinet. Iam & beneficijs obnoxios ha-  
bere aliquos necesse est, qui causam apud uulgam tuam  
frequēter agant, & crudelitatis famam eleuent, in eos tu,  
quod alijs rapueris, largissime profundas. Tum accusa-  
tores nutri, quorum studio occultos etiam sermones, &  
uniuersijs de te opinione pernosces, ac famæ tuæ in-  
tereris, & omniū disces studia. Cæterū quicquid facies,  
facies autem inique & scelestē ut plurima, ita omnia mo-  
derare, ut licet turpissimis ac scelestissimis factis, honesti  
speciem quandam inducas. Sic enim fiet, ut quanquam  
non

P H A L A R I S M V S

nō credatur recte abs te factū, tamē inique factū dubitet.  
Sæpe etiā bene facies aliquid, liberaliter, iuste, strenue,  
ac pie. Quod nescis quām sit obseruatu dignū. Nā unū  
tuū benefactū, cognitū, ac testatū, plurimorū pessimorū  
scelerū famā eluet. In summa, omnē eò mētis aciem diri-  
ge, ut scias, qui timēdi, quorū tibi amicitia captanda sit,  
quò insidiantiū laqueos declines. Quod si qua tibi aduer-  
sa fortuna ruinā minabitur, atq; illud tu in tempore uide-  
ris, tunc ad illā confuge, iā sæpe cœptā in Germania tua,  
nunquā ad progressum deductam coniurationē, ut cōci-  
liata tibi infima per uniuersam nationē plebe, & ad præ-  
dam uocato desperatissimo quoq;, in sacerdotū ac locu-  
pletū possessiones irruatur. T Y R. Decretū hoc nuper  
erat, sed tardius, quām ut esset prosequēdi facultas. Ita ce-  
leriter enim irruperat Francorū exercitus, ut mihi tem-  
pus nō esset, illum in uexillo uersicolorem calceum uul-  
go ostēdendi. Quem quidem aliquando, si opus fuerit,  
efferre cogito. P H A. lætiora ominari debemus, si quid  
tamen huiusmodi ceciderit, habes explicandi cōsilium.  
Nunc autem ut res habēt, in belli sumptus pecunia si de-  
fuerit. T Y R. Quid me facere uoles? P H A. Quid ali-  
ud enim, quām ut sacra legas, templa spolies, sacerdotes  
depeculeris? T Y R. Sed qua id honestatis specie? P H A.  
Nempe, ut interposito iure iurādo, omnia in melius resti-  
turum te pollicearis. T Y R. Caute. P H A. Quod ad  
Iesus & iocos pertinet, si cuius post hac amabis uxorem,  
nec per eum illius tibi copia erit, ipsum quidem occides,  
uerum occulte, & ita, ut abs te occisum planē nō constet.  
T Y R. Veneno uis? P H A. Aut simili modo. Nam  
Francum satī commode non tractasti. T Y R. Equidē  
delitiatus sum, & uoluptati hoc meæ dedi, nō prudenter  
ut uideo, proinde consultum te prius oportuit. P H A.  
Sed iam inde cōsilio utere, at omnia cautissime patra, neu  
quid eorum quæ tradidi neglige. Certe rerum capita has  
bes,

## H V T T E N I C V S

bes, nunquam cōtemnenda consilia. Quibus præsidij, si se firmasset Syracusanus iste, nō ex Tyrannoliterator factus esset. Præterea quod moneam, non uideo, nisi, quod tua refert, ut discordijs Germaniam impleas, cædibus ac compilatione Sueuos tuos diuexes, bonis omnibus insidieris, nuuquam placatus, nūquam quietus, ipsi Cæsari, ubi ubi potes, molestus sis. TYR. Iam hoc studio, & tibi sedulo magistro, gratus auditor, multa libenter debeo, qui me sic instituas. PHA. Agnosco. Tu uero quando ite fert tempus, abi bonis auibus, sed prius omnes hos saluta. Hic est quē dixi Mœdus Astyages, Hic Persarū Cambyses, Iuxta Græci Atreus & Pysistratus, Thraces Tereus & Diomedes, Inde Busiridem uid es im pie olim pium, & populares meos Agathoclen & Dionysium, Romanos Caligulā, Domitianū & qui circa illos sunt. Ecce & Ascalonitam, istū cuius exemplo infantes quoq; perimes, Principes uidelicet Tyrannorū. Nam omnes recensere, immēsum est. TYR. Saluete unā omnes optime de rebus humanis meriti. TYrāni. Et tu salue, ac nostris uestigijs, quod coepisti, insiste. TYR. Dabo operam. Tu Magister uale. PHA. Vale discipule. Verum heus tu. TYR. Quid me uis? PHA. Quamprimum ad superos redieris, illud cornu ceruinū, tuo magistro equitum. TYR. Cuius ego ab illo Franco filiam? PHA. Ei inquā, qui ut uideo suū tibi sanguinē p̄stituit, in sinistrā maxillam ut inuras memēto. TYR. Quia tibi uidetur. PHA. Quia ille meretur, ut meus olim Perillus, sceleris præmiū. Atq; aliud. Vin' tuū uidere patruū? TYR. Per cupide. PHA. Quod mirantur omnes, solus esse studet, & in delitijs istā habet simiam, aliquādo uero & inter regia Plutonis pecora delitiatur, Saluta. At ecum Mercuriū ut te reducat. Viue ac uale Tyrannice.

FINIS PHALARISMI HVTTENICI

Cum Priuilegio. Mense Martio AN. M.D.XVII.

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.



BAYERISCHE  
STAATS-  
BIBLIOTEC  
MUENCHEN

